



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 2. Christus à se humilitatem disci volens, an humilitatem simulârit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

sanctos, qui, cum Abrahamo, in terram prostrati dicere semper solebant oraturi:

Gen. 18.  
27.

*Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis?* Ipsa Dei Mater, super Angelos ex-

Luc. l. 38.

altanda, nonne se se *Ancillam Domini* vocabat? cuius, teste S. Bernardo, ne virginitas quidem placuisset, si caruisset humilitate.

S. II.

*Christus à se humilitatem disci volens, an humilitatem simulavit?*

Ipse Christus de se ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Nempe quia Magister erat virtutum, etiam humilitatem nos voluit docere; nec verbo tantum, sed exemplo quoque, quæ est efficacissima ratio docendi. Vnde non ait dumtaxat: *Discite,* sed addit: *à me,* à dictis, à factis, ab exemplo meo. *Nam exemplum dedi vobis,* non tunc modò, quando discipulorum ac vilium piscatorum pedes laui; sed in omni vita etiam reliqua. Nec sanè etiam hoc ipsum dicere potuisset, nisi in summo gradu stetisset humilitatis. Si enim alius diceret: *Discite à me, quia mitis, quia humilis sum;* arrogans haberetur; quia humilis, non humilem, sed vilem se se reputat: & contemnitur ab alijs

Matth. 11.  
29.

alijs, qui se alijs proponit imitandum. Dum enim proponit, præponit. At Seruator ita excellit in sui ipsius abiectioe, vt neque cum se ipsum alijs proponeret in virtutis exemplum, quidquam vanitatis animo potuerit persentiscere; sed verè simul esset, quod diceret, hoc est, *humilis corde*: non ore tantum, vt quidam, qui se ipsos verbis deprimunt, vt alios ad refutandum, & laudandum inuitent. Si enim alios id, quod de se ipsi pronuntiant, credere, aut etiam suo iudicio testimonioque confirmare animaduertant, in quantas non impatientias erumpunt? quantas non ferunt exostulationes? denique, quasi ouum putidum freris, ita foetent, rupta testa, atque vlcere patefacto. Non sic Christus: nihil ille simulatè agit. Veritas est, verè dicit, quidquid dicit. Est ergo humilis corde, cum dicit se *humilem corde*. At cum nos quoque vult humiles esse, vult itidem id, quod sumus, hoc est, vilitatem nostram profiteri. Quam quia non agnoscimus, ex corde humiles non sumus, donec agnoscamus. Plerumque enim potius Pharisaum imitamur, alterius vitia acutissimis oculis intuentes, nostra ignorantes; quam Publicanum, qui suum non alie-

num

S. Bern.  
ser. 2. in  
capite ie-  
iunij.

num pectus percussit. Cogitamus, inquam, nos non esse Ethnicos, non hæreticos, non adulteros, non homicidas; quasi non aliud sit, ob quod vel sanctissimi se se possint humiliare. Hoc igitur, *Discite à me*, ait Christus. Vnde meritò D. Bernardus scribit: *Quid tu inflaris, ò homo, quid extolleris sine causa? quid altèr sapias, & oculi tui omne sublimè evident? Sublimis quidem Dominus: sed non ita proponitur tibi: laudabilis magnitudo illius, non etià imitabilis: humiliare, & apprehendisti.* Hinc ergo quæstio nascitur, & multos sollicitat in vita spiritali parum versatos: cum Humilitatis virtus in vili sui æstimatione versetur; quo modo verum esse potuerit, in Christo, tale iudicium vilitatis? adeo que, quomodo verè *humilis corde* esse potuerit? Ille innocens in omni vita, ille morum Magister; ille fons sanctitatis; ille homo Deus, sapientia diuina, Verbum increatum; cuius etiam caro diuinæ hypostaseos vnione Deificata, qua veritate potuit se vilipendere? Atq; hæc quæstio, cum certa proportione, potest etiam ad Deiparam, & ad reliquos Sanctos, immò & ad eruditos, aut in quacumque re, vt in gubernatione hominum, militia &c. excellentes, extendi.

tendi. Si enim scapha scapha debet appellari, quo modo doctus se se habere potest pro indocto? pius pro impio? amicus Dei pro hoste Dei? aut quid vile in se se potuit Virgo Mater ad tantam dignitatem euecta reperire? Peccatores sanè infinitas habent sese vilipendendi causas: iustus autem nonne mentitur, cum se se vocat peccatorem? doctus, cum se pro rudi habet? pius cum impium appellat? Quæ hîc veritas? quæ diuini iudicij humilitatem nostram exigentis æquitas? *Audiens sapiens sapientior erit.*

Prouerb:  
1. 5.

§. III.

*Cuius rei cognitio humiles efficiat?*

Igitur ad Christum, æquè verum Deum ac verum veracemq; hominem, quod attinet; verè is *humilis corde* fuit, nihil, quod non esset, sibi excogitans, aut simulatoriè affingens. Et sanè humilitas ex vilitatis suæ cognitione oritur, quæ cognitio, quò maior est, eò maior existit & humilitas. Itaque etiam Seruator noster, ( non quòd in ipso aliquid fuerit vilius, quàm in vlla creatura, sed quòd cognitio cuiuscumque exinanitionis, in eo, maioris causa fuerit demissionis ) quòd perfectiùs se ipsum, quàm hominem ex nihilo productum nouit, eò se se demisit

I i

pro-